



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Consolator Fidelis Et Proficientis Animæ seu  
Exhortatiunculæ Spirituales Et Succinctæ In singulas  
Dominicas & Festa anni divisæ, quibûs Confessarius in S.  
tribunali animam Deum verè quærentem paternè ...**

**Eisvogel, Veremund**

**Augustae Vindelic., 1727**

15. S. Vitus Martyr

[urn:nbn:de:hbz:466:1-52716](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-52716)

Festum S. Viti Triumphatoris  
invictissimi.

EXHORTATIUNCULA I.

**O** Bellum puerulum! vix natus duodecim annos, jam fidem Christianam amplexus, despicit & tyranni tormenta, & proprii parentis blandimenta. Fili! quid nos ageremus? Non vincemur à sanguine? sensualitate? At non est obediendum hominibus, sed Deo qui & vincere, & triumphare dabit.

*Instructio meritoria.*

Ut discamus mori consanguineis, & amicis, in honorem quatuordecim Auxiliatorum, quos inter & gloriose triumphat S. Vitus, 14. Pater & Ave cum totidem *Gloria Patri* persolvamus. Auxilium nostrum de cœlo: & dubitamus de victoria?

II.

**Q**uis nostrum, dilecte mi! diffidat de Adjutorio Dei? S. Vitus ut ex Sicilia in Neapolitanum Regnum appelleret, Angelum præstò habuit, & avidum Martyrii eò deduxit tutissime.

Non

Non deest Deus, neque Angeli, si nobis non deficiat fides, & firma confidentia. Nemo in orbe miserior illô, qui spem amisit; Neque ulli necessitas ingruit major, quàm cui fiducia nulla suppetit.

*Instructio meritoria.*

Ad augendam in nobis vivam fidem, spem, & charitatem, SS. Rosario semel recitato subdamus *tria Ave* specialia cum petitione: *Auge vivam fidem, spem firmam, Charitatem perfectissimam.* En! comites, & socios pro via & itinere ad aternitatem. Stamus vicini præcipitio sine harum virtutum exercitio.

III.

O Dei Providentiam! Deserto ab hominibus Martyri advolat aquila, & per aliquot dies cibis sustentat esurientem! O quàm vanæ sunt hominum curæ! Chare mi! Nos corpori invigilamus, & coelestium obliviscimur: Ut quid ergò oramus: *Pater noster, qui es in caelis!*

*Instructio meritoria.*

Necessitates nostras, sive corporales,  
sive

sive spirituales ad Ecclesiam, & ad ar-  
deferamus, easque commendemus dul-  
cissimis Cordibus Jesu, & Mariæ tem-  
pore, quò fit à Sacerdote Panis, &  
vini consecratio. Dum tempus acce-  
tabile, pulsandum, clamandum, me-  
dicandum est. Oremus Psalmum  
*Confitemini Domino, quoniam Bonus.*

Festum S. Bennonis Pontificis  
& Bavariæ Patroni Prodigiosi.

EXHORTATIUNCULA I.

**A** Lapam accipit D. Benno. Quo  
animò? Hilari. Gaudebat pro  
Nomine Jesu contumeliam pati. O-  
li! Vincamus & nos in bono malum  
Audiemus in lectulo mortis: *Dimisi-  
sunt ei peccata multa; quoniam dilexi  
multum.* Non est ultio sanctior, quam  
prompta illatæ injuriæ remissio. Ultio-  
nem tam heroicam ut hodie probemus.

*Instructio meritoria.*

Pro omnibus nos offendentibus, au-  
contemnentibus, vel persequentibus  
unam sacramentalem Communionem  
cum uno Rosario doloroso offeramus.

Ref.